

SERENISSIMAE DUCI
REVERENDISSIMÆ ABBATISSÆ PRINCIPI
AC DOMINÆ
DOMINAE
**ELISABETÆ ERNESTINÆ
ANTONIAE**

MONASTERII GANDERSHEMENSIS IMPERATORII AC IMPERIALIS
EXEMTI ATQUE SÆCULARIS

ABBATISSÆ POSTULATÆ
NATÆ DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC
MONTIUM, NEC NON ANGARIÆ ET WESTVALIÆ, LANDGRAVIÆ
PER THURINGIAM, MARCHIONISSÆ PER MISNIAM ET LUSATIAM
UTRAMQUE, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGENSIUM, COMITI
MARCAE AC RAVENSBERGÆ, DOMINÆ
RAVENSTEINII,

DOMINAE SUAE CLEMENTISSIMAE

VALERE RESQVE FELICITER GERERE!



DUX SERENISSIMA
REVERENDISSIMA ABBATISSA
PRINCEPS



*Vi amplissima Numinis supremi beneficia
grato ac venerabundo excipiunt et pro-
sequuntur animo, eam sibi potissime le-
gem norunt esse praestitutam, ut nil de-
stinent, nil suscipiant, nisi illud, unde
gloria infiniti Autoris ac ter optimi
conservatoris amplitudo immensa ex-
splendescunt. Magistratus summos
eosque, qui cum imperio sunt, ut virtutem praemiis
dignentur, vitia lege coercent, vicem Dei in terris
sustinere, nemo est, qui ignorat. Quid idcirco est ae-
quius, quam ut ei, qui a Dei et Principum nutu pendent,
actiones suas ad venerationem et honorem utrorumque con-
forment? Si numerum beneficiorum, DOMINA, a TE
in me immerentem conlatorum, mire studeo, prius me memo-
ria ac dies deficiunt, quam dicendorum copia et materies. In
more olim tum Graecis, tum Romanis, erat positum, ut ipsi
Principibus dedicarent statuas, quorum opera vel ab exitio re-
uoca-*

uocati vel singularibus beneficiis affecti fuerant. Meruerunt omnino virtutum Tuarum praesidia almaeque pietatis ornamenta, ut aetas nostra ferret Lysippum, Phidiam, aut Polycletum, qui auro TE ducerent exprimerentque. Verum enim vero nefas est nec licet mortali manui statuam effingere, quae totam tantae PRINCIPIS amplitudinem illustratamque mentem humanis oculis repraesentet. Si meo me metiri modulo ac pede debeo, in qualemque grati mei erga benignitatem Tuam animi testimonium hanc opellam consecro, non quod, me vlla ratione magnitudinem meritorum Tuorum adsequi posse, confidam; sed ne prorsus citra ullam publicam deuinctissimae et perquam demissae meae mentis tesseram ex hac fragili lucis usura subtrahar. Euocasti me admodum iuueniem ex terris, quibus Bellona praesidebat, ad quietissimas Musarum delicias. Eripuisti me ex faucibus insidiatorum, de quorum singulis Horatius cecinit: *Hic niger est, hunc tu, Romane, cauento.* Largita mihi es, unde vitam tolerare licet, meisque desideriis aurem nunquam non dedisti propitiam atque clementissimam. Praeluxisti mihi et aliis splendore pietatis intemeratae, virtutis ad conseruandos homines excubantis, summaeque mansuetudinis, quae ad infimos quoque tegendos sese demittit. Vindicasti me a dentibus inuidorum et maleuolorum theoninis, licet ipso pietatis fuco incrustatis.

Flumina latissima aequa ac riui tenuissimi id Oceano redundunt, quod inde acceperunt. Reddo peraeque TIBI, quae, TE praesidente et suppeditante, accepi. Habet enim ecclesia, Tibi submissa, illud eximum et singulare, vt diplomata seruet vetustissima, vt tuitionem ostentet regiam ac imperialem immunitatem inde ab anno 877 deducendam, vt Imperatorum Regumque ac Ducum Principumque filias in gremio suo ad mansuetissimam Iesu doctrinam ac litteras optimas adsuefecerit, vt summae in ea Duces contumulatae iaceant. Imperatores ac Reges, quorum nomina cum aeternitate omni certant, collegium TVVM Principale existimarunt dignum, quod lustrarent, donis liberalissimis semperque decantandis virtutum documentis eueherent et munimento autoritatis ac maiestatis suaee corroborarent. In aula Tua crebro versata est quondam AVGUSTISSIMA IMPERATRIX, EVRO-

*EVROPAE AMOR et DELICIVM GENERIS
HVMANI, ELISABETA CHRISTINA, cui Deus
benedicat ex altissimo aeternae lucis fastigio in omnium sae-
culorum decurssione! Indignum erat virtutibus Tuis praecel-
lentissimis, tantas res silentio obrui sempiterno, nec potius eo
sermone celebrari, qui in terris adhibetur longe disiunctissimis.
Qua de causa tabularium ecclesiae mihi patefieri iussisti, bi-
bliothecamque adornandam suscepisti, unde illa depromere li-
ceret, quae ex diplomatibus solis non satis superque patesce-
bant. *TVVM* est hoc opus: *TVVS* est hic liber: *TVA* est
haec historia, quantulocunque labore meo perscripta, et,
adspirante Deo, tandem aliquando ad coronidem perdu-
cta. Siquid forte a me peccatum est, id meum erit
solius. Faxit modo summus rerum arbiter, ut, si vitam
is mihi clementissime prorogare dignetur, Tibi porro operam
meam qualemcunque adprobare Tibique virtute incorrupta
ac pietate nunquam intermoritura placere queam! Faxit
idem idque infinitum Numen, ut diu diuque regundae et tuen-
dae ecclesiae Tuisque praesideas, atque laetitia perdurante
ac corporis inoffensa valetudine perfruare, donec *TE* satieta-
te viuendi expletam purissimis animis coelites adgregauerint!
Ita vale perpetuo Tibique me habe commendatissimum*

DUX SERENISSIMA
REVERENDISSIMA ABBATISSA
PRINCEPS

SERENITATIS TVAE CLEMENTISSIMAE

Gandershem ad Kal.
Aug. 1733.

famulum et cultorem indefessum
IOANNEM CHRISTOPHORVM HARENBERGIVM.